

NICOLAI COPER¹ NICI REVOLUTIONVM LIBER PRIMVS.

Quod mundus sit sphæricus. Cap. I.



R I N C I P I O aduertendum nobis est, globosum esse mundum, siue quod ipsa forma perfectissima sit omnium, nulla indigens compagine, tota integra: siue quod ipsa capacissima sit figurarum, quae comprehendens corpora omnia, & conseruatur maxime decet: siue etiam quod absolutissimae quaeque mundi partes, Solem dico, Lunam & stellas, tali forma conspiciantur: siue quod hac uniuersa appetat terminari, quod in aquae guttis ceterisque liquidis corporibus apparet, dum per se terminari cupiunt. Quo minus talem formam cœlestibus corporibus attributam quisquam dubitauerit.

Quod terra quoque sphærica sit. Cap. II.

 Erram quoque globosam esse, quoniam ab omni parte centro suo innititur. Tametsi absolutus orbis non statim videatur, in tanta montium excelsitate, descendensque uallum, quae tamen uniuersam terræ rotunditatem minime uariant. Quod ita manifestum est. Nam ad Septentrionem undequaque commenitibus, uertex ille diurnæ revolutionis paulatim attollitur, altero tantudem ex aduerso subeunte, pluresque stellæ circum Septentriones uidentur non occidere, & in Austro quædam amplius non oriri. Ita Canopum non cernit Italia, Ægypto patentem. Et Italia postremam fluuij stellam uidet, quam regio nostra plagæ rigidioris ignorat. E contrario in Austrum transeuntibus attolluntur illa, residentibus ijs, quae nobis excelsa sunt. Interea & ipse polorum inclinationes ad emensa terrarum spacia eandem ubique rationem habent, quod

a in